

opera diocesis suam regerent. — 87. Et omnia negotia tractari et absolvi cum consilio vel consensu Capituli coeperunt. — 88. Verosimile hoc jus ad Capitula cathedralia devolvi cepit, quando et beneficiorum et dignitatum tituli erecti et separatim ab ordine collati leguntur. — 89. Quare Capitulum cathedrale prerogativa praecipua gaudeat. — 90. Capitulum cathedrale tanquam senatus Ecclesiae praecedat quoque magistratum civilem. — 91. In Capitulum cathedrale sede vacante devolvitur diocesae regimen, ipsaque episcopalis auctoritas. — 92. 95. Quenam competant Capitulo sede episcopali vacante. — 96. A causis matrimonialibus et criminalibus non intelligitur exclusum Capitulum sede vacante. — 97. 98. Quae Episcopo non ut Episcopo, sed in alia qualitate speciali attribuuntur, in his Capitulum Episcopum non representat. — 99. Capitulum cathedrale ad exemplum pristini presbyterii, sede vacante, fungitur vice pastoris. — 100. 105. De collatione beneficiorum, sede vacante. — 104. Alienatio bonorum Ecclesiae, seu episcopatus, sive ad mensem episcopalem spectantium, Capitulo sede vacante interdicitur. — 105. In Capitulum non transeunt quae ab ordine episcopali dependent. — 106. 109. De potestate Capituli in expediendis litteris dimissorialibus. — 110. De jure communi jurisdictione Episcopi ad Capitulum devoluta, eam per se in communi omnino exercere poterat. — 111. Sed Concilium Tridentinum declaravit quod Capitulum teneatur, sede vacante, Vicarium infra octo dies constituere. — 112. 114. Quaedam notanda de Vicario et ejus jurisdictione. — 115. Capitulum adhuc post nominationem Vicarii sollicitudo episcopalis incumbit. — 116. Si Vicarius in aliqua causa sit suspectus, providet Ca-

ARTICULUS I.

Quoad ea quae concernunt Capituli convocationem seu congregationem.

(1. Capituli convocatio est facienda juxta solitum. Pignatell. tom. I, consult. 43; Passerin. cap. 10 de Electione, num. 49; Gonzal. in lib. Decret. c. unico de Syndico n. 9; Rota dec. 1247, n. 1, coram Seraphim., et dec. 295, coram Puteo, lib. III. (2. Capituli convocatio spectat ad majorem et digniorem. Innocent. et Hostiens. in cap. 1 de Majoritat. et Obedient.; Fagnan. in c. Ut Abbates, de Aetate et Qualitate, n. 24; Barbosa de Canon. c. 35, n. 1 et sequent.; Sac. Congr. Conc. in Bononien., 16 Junii 1683; in Lunen. Sarzanen., 12 Martii 1695, in respons. ad tertium, et S. Congr. Rituum in Neapolitana, 25 Januarii 1698, in responsione ad quintum. (3. Etiam si major seu dignior non sit in ordinibus sacris constitutus, nec votum habeat, adhuc ad eum spectat convocare Capitulum, proponere negotia decidenda, et suffragia collegialium votantium colligere, cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit praesidenti eiam in sacris non constituto ratione superioritatis. Ita decisum fuisse a Sac. Congr. refert Garcias de Benefic., part. III, cap. 4, n. 26, et tenet Barbosa de Canon., c. 35, n. 2; Nicol. Lucubr. Canon., lib. I, titul. 14, de Aetate et Qualitat., n. 7, limit. 3; Monacell. tom. I, tit. IV, formul. 4, n. 24; Petra tit. 1, Comment. in constitut. 1 divi Leonis, sect. 2, n. 46. (4. Aliquando tamen convocatio Capituli ex consuetudine potest spectare alternatim ad duos, ut declaravit Sac. Congregat. Episcoporum, die 3 Februarii.

pitulum. — 117. Si Capitulum reservet sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. — 118. Vicarius Capituli pro libitu et arbitrio Capituli revocari potest. — 119. Tamen hodie videtur esse libentior revocatio Vicarii penes Episcopum, quam penes Capitulum. — 120. Synodus Mechliniensis decernit: Vicarium semel a Capitulo electum vel confirmatum, sine justa et rationabili causa removeri non posse. — 121. Idem declaravit S. Congregatio addendo, nisi ex causa a S. Congr. Episcoporum probanda. — 122. Ultra Vicarium Capitulum sede vacante etiam Oeconomum eligere tenetur. — 125. Ubi nempe fructuum percipiendorum cura Capitulo incumbit. — 124. Si Episcopatus juri regaliae sint subjecti, sede vacante, rerum temporalium administratio ad officarios regios spectare consuevit. — 125. 126. Simile obtinet in plerisque episcopatibus Italiae, ubi sunt reservati Camerae Apostolicae. — 127. Oeconomus a Capitulo deputati solam custodiam et curam rerum ad episcopatum spectantium habent; et tenentur Episcopo ad vacantem Ecclesiam promoti rationem reddere. — 128. Vicario Capituli non dirigitur dispensationes matrimoniales, sed Episcopo viciniore, vel ejus Vicario in spiritualibus. — 129. Si littera dispensationis directae Vicario Episcopi exsequerentur per Vicarium capitularem, executio esset nulla, nullumque matrimonium contractum. — 130. Capitulum quid, et unde dictum. — 131. Capitula librorum. — 132. Capitula seu capitularia dicuntur etiam canonum ecclesiasticorum, legumque regiarum codices. — 133. Capitulum, seu lectio brevis quid, et varia ejus nomina. — 134. Capitulum Congregatio personarum ecclesiasticarum. — 135. Monachorum Capitulum.

1623, fol. 11, ad Archidiaconum Syracusanum spectare convocare Capitulum, et aperire litteras capitulares alternis vicibus cum decano. (5. Per hoc tamen, quod convocatio spectet ad majorem seu digniorem, non est refranatum arbitrium Capituli illud congregandi. Abbas in c. Cum nobis, de Electione, n. 9; ad textum in cap. 1 de his quae fiunt a majori parte capituli. Petra, l. c., n. 47. Nam renuente majore seu digniore convocare Capitulum possunt alii capitulares, vel illum cogere ad convocationem faciendam mandato superioris legitimi, ut advertit Abb. loco c., n. 4, vers. Ut ex hoc, et Rota in Hispanen. juris praesidendi in Capitulo, 2 Julii 1700, coram D. dell' Olmo; vel si facta debita requisitione ipsi majori, seu capiti Capituli, adhuc renuat illud congregare, potest fieri convocatio a subsequenti in gradu, ut censuit Rota in Gerund. supr. dubio juris praesidendi in Capitulo, 14 Junii 1702, coram D. Priolo. (6. Convocator Capituli non tenetur explicare materiam convocationis in ipsa convocatione, ut declaravit Sacra Congregat. Conc. in Lunen. Sarzanen., 12 Mart. 1655, ad quartum, quia possent petere dilationem in Capitulo ad consulto respondendum, in hac tamen materia debet attendi solitum, quo alterato poterunt semper vocales actum irritare, ut advertunt Passerin. cap. 10 de Electione, num. 49; Petra loc. cit. n. 45 et alii.

(7. Pro convocatione capituli non requiritur licentia Episcopi, si solitum sit sine illa congregari. Sacra Congregat. Episcoporum. in Brundusina 17 Jan. 1484, ibi: La Sacra Congregazione ha risoluto che il Capitolo sia

libero di congregarsi quando vuole, purchè non sia in pregiudizio del culto divino; onde non si può obligare a domandar licenza. Et in Neritonen., 20 Augusti 1601, ibi: Essendo il Capitolo in possesso d'adumarsi senza del Vescovo e del Vicario, non si dee in ciò fare altra novità. Barbosa de Canon. c. 15, n. 3; Pignatell. tom. IV, consult. 154. (8. Et ubi est solitum congregari absque licentia Episcopi, is non potest, multoque minus ejus Vicarius, prohibere absque justa causa, ne convocetur Capitulum. Sacra Congregat. Episcop. in Rhegiensi, 4 Junii 1602. (9. Secus autem, si adsit justa causa. Ead. Sacra Congr. Episcop. in Amerina, 13 Septembr. 1641. (10. Imo si prohibuerit ex justa causa v. g. ne Capitulum convocetur tempore divinorum officiorum, potest Episcopus etiam sine adjunctis procedere ad subtractionem fructuum, et ad multas ab eo impositas contra Canonicos habentes capitulum eo tempore quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur. Sacra Congregat. Conc. in Oriolen., 27 Martii 1632, ad 11. (11. Non potest tamen Episcopus cogere Canonicos ad sibi significandum quid tractare velint in Capitulo. Sac. Cong. Episc. in Andrien., 25 Februar. 1703. (12. Quamvis possit ipse Episcopus cogere capitulares ad sibi exhibendam copiam actorum seu resolutionum capitularium, ut censuit Sacra Congregat. Episcop. 6 Martii et 22 April. 1596. Et ratio est quia cura est Episcopi superintendere, ne fiant a Capitulo resolutiones juri contrariae. Fermosin. de cap. Sede Vacante, tract. 3, quæst. 6, num. 15; Barbosa de Canon. citat. cap. 35, n. 6, Petra loc. cit. n. 55, et late Rota in Gerunden. jurisdictionis super exhibitione resolutionum Capitularium 12 Junii 1702, coram Priolo; ubi ampliatur etiam ad Vicarium capitularem sede vacante, cum ad ipsum devolvatur jurisdictionis Episcopi.

(13. Episcopus potest congregare Capitulum pro casibus in quibus, juxta sacros canones, tenetur exquirere ejus votum, vel consilium, et in aliis casibus spectantibus ad sui dignitatem. Barbosa de Canon. cap. 35, n. 7; Fagnan. cap. Cum ex injuncto n. 26, et sequent. de novi operis nuntiatione, et censuit dispositio Concil. Trid. sess. 25, cap. 6, de Reform. ibi: « Quod si aliquid Canonici ad deliberandum proponunt, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. » (14. Non potest tamen Episcopus convocare Capitulum pro actibus capitularibus, qui spectant ad Capitulum, uti Capitulum, quia pro rebus spectantibus ad ipsum solum Capitulum remanet illæsa, et intacta sua jurisdictione, ut post prædicta verba, quibus aperte demonstratur ad quæ se extendat hæc potestas Episcoporum, sic expresse addit Tridentinum Concilium: « Cæteris autem in rebus, Capituli jurisdictione, et potestas, si qua eis competit, et honorum administratio salva et intacta omnino relinquatur. » Barbosa de

potest. Episcop., allegat. 73, n. 17, vers. Si Episcopus, Petra loc. cit. n. 50. (15. Vicarius Generalis Episcopi, sive praesente, sive absente Episcopo, in nullo casu potest convocare Capitulum exemptum, cum expresse in hoc reperiatur exceptus a Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 6 de Reform. ibi: « Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. » (16. Secus autem est dicendum de Capitulo non exempto, quia mox citatus textus: « Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur, » est intelligendus, si Capitulum sit exemptum, prout decisum fuisse a Sacra Congregat. refert Sbrozz, in addit. ad summ. tract. de Offic. Vicarii lib. II, quæst. 30, et post eum tenet Barbosa in cit. c. 6, sess. 25 Tridentini, num. 48. Fagnan. in cit. cap. Cum injuncto n. 28. Petra loc. citato n. 52. Et ratio diversitatis est, quia in Capitulis exemptis facultas convocandi tribuitur a Tridentino loc. cit. solum Episcopo cum expressa exclusionem Vicarii, ut patet per citat. verba: « Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. » In reliquis vero Capitulis non exemptis non est necessaria talis facultas, quia eam habet ex jure communi, eamque communicat Vicario, qui proinde habet jurisdictionem in Capitulo, et sic potest Capitulum convocare juxta existente causa in iis negotiis in quibus juxta suas facultates judex esse potest.

(17. Exstante legitima consuetudine, ut Episcopus seu Vicarius interveniat in omnibus Capitulis, etiam quæ fiunt pro re spectante ad Capitulum, debet illa servari. Sbrozz. de Vicario quæst. 30, n. 25; Petra loco cit. n. 56; Pignatell. tom. IV, consult. 154, n. 6, ubi refert talem consuetudinem exstare Mediolani, et sic ibi decisum fuisse a Sacra Congregat. Episcop. 2 Junii 1591. Unde etiam Sacra Congregat. Concil. censuit per c. 6, sess. 25, § Absente vero Episcopo, non obstante, quominus Vicarius Archiepiscopi Mediolanensis possit intervenire in Capitulo ac in eo sedere, si talis facultas ei ante concilium, vel constitutione, vel consuetudine, vel alio quocunque modo legitime competeat juxta dictum decretum in fine, praesertim si ipsum capitulum nullo exemptionis, aut speciali jure juvetur adversus omnimodam subjectionem Archiepiscopi. Quæ quidem declaratio fuit discussa a Sacra Congregat. Episcop. 5 Maii 1587 his verbis: « Sacra Congregatio super Episcopos decrevit Vicarium Archiepiscopi Mediolanensis Capitulis Ecclesiae metropolitanae, et negotiorum capitularium tractationi et expeditioni interesse valere, et primam sedem habere juxta decretum Conc. provincialis tertii. » (18. Quamvis tamen ex consuetudine, seu alio jure speciali, Episcopus seu Vicarius possit intervenire in Capitulis omnibus, non potest tamen nec Episcopus, nec Vicarius intervenire, si in Capitulo agendum sit de interesse proprio, seu suorum, ut ex Sac. Congr. Concilii concludit Pignatell. loco cit., n. 6; Barbosa cit. c. 35, n. 8; Rota in Gerunden. Jurisdictionis super exhibitione resolutionum capitularium 12 Jun. 1703, § Pro utroque, coram Domino Priolo. (19. Et dato, quod

Episcopus vel Vicarius congregaverit Capitulum, et rem proposuerit, ubi agitur de suo vel suorum commodo; debet exire et relinquere Canonicos de Capitulo solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent. Vener. in Examine Episcop. lib. iv, c. 37, n. 36 cum sequent.; Gallet. in Margarita casuum conscientiae, verb. *Episcopus*; Barbosa de Canonic., c. 35, num. 6; Rota in Hispanens. Juris praesidendi in Capitulo 2 Julii 1700, § *Similiter*, coram D. dell' Olmo. (20. Hujusmodi tamen interesse debet esse speciale proprium, vel suorum; non autem ratione Ecclesiae, in quo casu, sicuti posset esse iudex Episcopus, vel Vicarius, ita ratione non sunt repellendi, ut pluries censuit Sacra Congreg. Concil.; in lib. enim Card. Alciati fol. 1270, ita habetur: « Tertio an sub illis verbis Sac. Cong. d. c. 6, » nec agatur de re ad suum vel suorum commodum spectante, » comprehendantur ea quae concernunt Ecclesiam, ut si agatur generaliter: An Episcopo sit serviendum celebranti; » Sacra Congregat. respondit, *Non comprehendit*; et eadem Sacra Congregat. Concil. in Turritana, 14 Junii 1651, respondit: « Locum aulae Archiepiscopalis non esse immutandum, sed quando agendum de interesse privato ipsius Archiepiscopi, ipsum, et ejus Vicarium abstinendum ab interressentia in Capitulo; » et Rota in. cit. Gerunden., § fin. (21. Ubi autem Episcopus seu Vicarius juxta solitum, seu consuetudinem Capitulis intervenit, non potest ferre suffragium, quia hoc ferre spectat tantum ad illos de Capitulo, ut decrevit Sacra Congreg. Concil. apud Cardin. Alciatum, in cujus lib. fol. 1269, sic adnotatur: « Cum dubitaretur ab Episcopo Cadicen. an cum ipse ex decreto Sac. Concil. cap. 6, sess. 25, Capitulum convocet, habeat tamen in eo votum? » Sacra Congregat. censuit non habere, neque ex jure, neque ex decreto Concilii; et sic censuit eadem Sacra Congregatio etiam in Aprutina, 31 Julii 1694, denegando Vicario jus dicti suffragii, et sic etiam tenet Rota in d. Hispanens. Juris praesidendi in Capitulo, § *Prout*. (22. Dato autem quod Episcopus seu Vicarius esset Canonicus, tunc posset quidem ferre suffragium, sed unicum tantum, uti Canonicus; quia uti Canonicus esset pars ipsius Capituli. Gratian. discept. 106, num. 5 et sequent.; Lotter. de Re benefic., lib. 1, q. 19, n. 104 et 105; Barbosa de Potest. Episcop., alleg. 73, n. 17 et 18; Petra loco cit. n. 19; et plene Rota part. xii, recent. dec. 278, n. 1 et 2, et prius dec. 156, n. 17 et sequent. ead. part. xii.

(23. Episcopus, in casibus in quibus convocet Capitulum, debet in eo praesidere cum omnibus praerogativis; cum enim sit in Capitulo uti caput, debet ipse retinere primam sedem et praeminentiam horologii, vota recipere, negotia proponere, ac alia peragere quae necessaria sunt. Trident. sess. 25, c. 6 de Reform., ibi: « Episcopis praeterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in Capitulo, in processibus et aliis actibus publicis sit

prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint, et praecipue omnium rerum agendarum auctoritas. » Rota in Gerunden. Jurisdictionis super jure praesidendi in Capitulo. 14 Junii 1702, coram Priolo; et Hispanens. Juris praesidendi in Capitulo, 2 Junii 1700 per tot. ubi rate examinatur articulus etiam in Capitulo exempto coram D. dell' Olmo. (24. Episcopus interveniens Capitulo non illud congregando, seu convocando pro rebus ad suam dignitatem pertinentibus, sed solum ratione consuetudinis interveniens Capitulis, quae congregantur a capite Capituli pro rebus et negotiis ipsius Capituli, habet praeminentiam loci, et praerogativas horologii et tintinnabuli, quia etiam ibi intervenit uti Episcopus, et in congruum videtur, ut subsit alteri, cum caput Capituli sit inferior Episcopo. Sarav. de Adjunctis q. 1, n. 7; Ceccoper. lucubrat. Canon. lib. iv, n. 133; Lotter. de Re Benefic. lib. 1, q. 16, n. 69; Petra loco cit. n. 66. (25. In actibus vero concomitantibus ipsum Capitulum, nempe convocacione, votorum receptione, ac similibus tales praerogativae spectant ad caput Capituli, et non ad Episcopum, nisi etiam actus praefati ex consuetudine spectent ad Episcopum, quia Episcopus ibi non intervenit uti constituens unicum corpus mysticum cum ejus Capitulo pro explendis actibus, qui opus habeant unione dicti corporis mystici, sed dicti actus pro rebus Capituli explentur per corpus Capituli, sine Episcopo, qui potius intervenit ibi uti iudex, ne aliquid agatur contra jus. Et sic videtur recte sentire Rota in d. Hispanens. Juris praesidendi in Capitulo, 2 Julii 1700, § *Minusque urget*; Petra loco cit. num. 66. (26. Episcopus, qui est Canonicus sive in Ecclesia sua propriae dioecesis, sive in Ecclesia alienae dioecesis, sive in Ecclesia exempta, non potest uti Canonicus convocare Capitulum, vota recipere, et similia, sed haec spectant ad caput Capituli, quia Episcopus, ut Canonicus, est pars Capituli. (27. Episcopus autem, etiam titularis, licet interveniat Capitulo et aliis functionibus capitularibus uti Canonicus, habet praecedentiam et praeminentiam super omnes Canonicos et dignitates. Rota in Asturicens. Praeminentiarum 2 Jun. 1704, § *Sentiebant*, et § *Fortius* coram D. Ansaldo, et S. Cong. Rit. in Neapolitana, ut refert Card. de Luca disc. 41 de Praeminentiis; in Ruthenen., 24 Sept. 1605, in *Compostellana*, 11 Jul. 1617, et in Calaguritana, 13 Novemb. 1611. Vid. verb. *Canonicus* art. 7, n. 45. Et ratio est quia praecedentia, seu praeminentia loci, ac hujusmodi, sunt inseparabiles a dignitate Episcopali, quae supereminet tali Capitulo, et per hoc, ut recte advertit Hieronymus Veneto in Examine Episcop. lib. iv, c. 28, num. 32, et cum ipso Barbosa de Canon. cap. 36, n. 6, et Petra loco cit. n. 78, debet praefectus Capituli, quando proponit, petere cum debita urbanitate licentiam ab Episcopo istum salutando.

(28. Capitulum convocari, seu celebrari debet in Ecclesia et loco ad hoc determinato. Cap. *Quod sicut*, 28, de Election. et Glossae

ibi verb. *Constitutiones*, c. *Qua fronte* 25, de Appellat., et ibi Glossa verb. *Canonicum*, cap. *In nomine Domini* 1, dist. 23, c. *Praeceptum* 6, q. 2, caus. 1. Fagnan. in c. *Cum ex injuncto* 2 de Novi operis nunt. n. 17, cum multis ibi citat. (29. Nec Episcopus potest domi suae illud convocare, sed ad aulam capitularem, ubi antea solitum fuit convenire. Sacra Congr. Concil. in Placentina, ubi, ut refert Fagnan. loco cit. n. 18, proposito dubio: An Episcopus volens aliquid in Capitulo proponere juxta c. 6, sess. 25, teneatur accedere ad Ecclesiam, et locum solitum deputare; an vero illud in aedibus propriis convocare possit? Sacra Congregat. respondit quod, quando Episcopus vult aliquid proponere Canonicis ad deliberandum, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agitur, solus Episcopus privative ad quoscunque potest convocare, idque in domibus suis; postea vero auditis utriusque rationibus, partiumque advocatis, et procuratoribus, ab omnibus in hanc sententiam itum est, ut Episcopus non possit domi suae Capitulum convocare, sed ad aulam capitularem, in qua antea semper solitum fuit Capitulum convenire. (30. Potest tamen Capitulum ad alium locum transferri et convocari, quando non potest tuto convenire in Ecclesia, vel loco capitulari, ut patet in c. *In nomine Domini* 1, dist. 23, his verbis circa medium: « Quod si pravorum, atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in urbe non possit electio, Cardinales Episcopi cum religiosis clericis, Catholicisque laicis licet parvis, jus potestatis obtineant eligere Apostolicae Sedis Pontificem, ubi congruere viderint; » et ibi notat Glossa in verb. *Fieri in urbe*; Fagnan. loco cit. num. 21. (31. Et inter alias justas causas transferendi Capitulum ad alium locum, justa causa est repulsio Episcopi ab ingressu in civitatem, vel rebellio contra ipsum Episcopum, ut ex causa rebellionis contra Episcopum Leodiensem fuit concessa facultas transferendi ipsum Capitulum ad alium locum idoneum et tutum in dicta dioecesi Leodiensi constitutum, de quo Episcopo et Capitulo expedire videbitur. Sic concessit Clemens VI in constit. incip. *Ecclesiis*, dat. Avenione Kalendis Maii anno sexto sui Pontificatus; et confirmavit Innocentius X in constit. incip. *Cum alias*, dat. Romae 24 Jun. 1649, anno quinto sui Pontificatus, ut videre est apud Fagnan. in c. *Cum ex injuncto* 2, de nov. oper. nunt. num. 55 et 56. Et ratio est quia, ut expresse dicitur in cap. *Non decet* 1, dist. 12: « Non decet a capite membra discedere, sed ea juxta Scripturae testimonium caput sequantur. » Caput autem est Episcopus, et membra sunt Canonici. Cap. *Novit* 4, de his quae fiunt a Praelato, ibi: « Novit tuae discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probentur, unde non decet te omissis membris aliorum consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti. » Quare cum ob impedimentum

ei illatum Episcopus nequiverit ad suam cathedralem Ecclesiam se conferre, ibique Canonicorum consilium exquirere pro negotiis Ecclesiae expediendis, necesse est ut possit alio eos convocare, ut juxta citat. canon., « Membra caput suum sequantur, ne cogatur Episcopus, omissis membris, aliorum consilio uti in negotiis suae Ecclesiae. »

(32. Capitula, seu tractatus, et congregationes ac actus capitulares per Canonicos cathedralium et collegiarum Ecclesiarum fieri non debent eo tempore quo celebrantur divina officia, ut rescripsit Sacra Rituum Congregatio Archiepiscopo Ulyssiponen. his verbis: « Sac. Congreg. Rit., viso et pensato memoriali pro parte dimidiorum Canonicorum quaternariorum Ecclesiae Ulyssiponen. eidem Sac. Congr. porrecto, declaravit Capitula, seu tractatus, et congr. ac actus capitulares per Canonicos cathedralium et collegiarum Ecclesiarum, peractis divinis officiis, et praesertim Missa majori, ne divinus cultus propter ministrorum subtractionem minuatur, habendos esse. Quod si dum Missa et alia divina officia celebrantur, aut horae canonicae recitantur, Capitula habere voluerint, nisi forte evidens necessitas id postulaverit, ejus horae, et in qua id commiserint, quotidianas distributiones minime lucrari debere censuit sub die 17 Novembr. 1600. » Et sic etiam censuit Sac. Congr. in Oriolen., 27 Martii 1632, in responsione ad 11, ubi respondit: « Capitulum non esse habendum eo tempore quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differre non patiatur; quod si secus fiat, Canonicos nunquam lucrari distributiones quotidianas pro illis horis quibus divinis non interfuerint, et eo casu Episcopum posse sine conjudicibus contra Canonicos procedere ad subtractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Capitulum Ecclesiae cathedralis, deficiente Bohemero in decretal. lib. iii, tit. 9, § 7, est « Collegium sub Episcopo quidem, sed separatam corpus tamen sub directione praepositi et decani constituens, et peculiaribus suis juribus gaudens, Episcopo in adjutorium datum, et de regimine ecclesiastico participans, constans ex iis qui, vel ratione praebendae suae, vel alias de consuetudine votum sessionemque in Capitulo acceperunt. » (34. Quod olim presbyterium, id Capitulum sibi hodie vindicat. (35. De origine vero Capitulum, adibis eundem Bohemerum in decretal. d. l. iii, dict. tit. 9, a § 2 ad plur. seqq. cum Rousseaud de la Combe verb. *Capitulum*, sect. 1 per tot.

(36. Ut autem Capitulum jure suo expleat negotia, quatuor haec concurrant oportet. I. Ut sit legitime congregatum. II. Ut vocentur omnes qui vocem in Capitulo habent, vel de praesenti habere possunt. III. Ut negotia capitulariter expediantur. IV. Ut major pars consensum suum interponat.

(37. Quod attinet ad primum requisitum,

Capitulum ut legitime convocetur, haberi debet ratio *personarum*, id est convocantium, *modi, loci, et temporis*. (38. Convocat Capitulum Episcopus, vel decanus. (39. Episcopus convocat in negotiis quæ peragi debent cum consensu vel consilio Capituli, vel alias conjunctim ad Episcopum et Capitulum pertinent. (40. In cæteris negotiis decanus convocat Capitulum vel tempore statuto, vel extraordinario pro re nata, eoque deficiente senior ut plurimum, (41. nisi aliter ea in Ecclesia obtinuerit. Bohemer in decretal., lib. iv, tit. 11, § 3, (42. ubi quod, convocante decano Capitulum, haud opus est licentia Episcopi. Louvrex dissert. canon. 17, n. 1 et plur. sequent.

(43. De modo convocandi Capitulum nihil in jure statutum est. (44. Quocirca retineri debet modus ille, qui in Ecclesia, de qua agitur, invaluit. (45. Alibi enim fit convocatio per sonum campanæ, alibi per litteras, alibi viva voce. (46. Quod vero attinet ad absentes, ii necessario convocandi sunt per litteras vel per nuntium. Passerin. de Election. Canon., cap. 11 fere per tot.

(47. Locus Capituli solet esse certus ac determinatus. (48. Episcopus tamen potest Capitulum in aula sua convocare, nisi controversiam cum ipso Capitulo habeat. Fermosin. de Potest. Capituli sede vacante, tract. 3, quæst. 6, num. 12. (49. Verum si alibi, modo in loco honesto, convocatum sit Capitulum, nequit actus hoc nomine impugnari, quod Capitulum non sit convocatum in loco consueto. Card. de Luca de Regular., discurs. 15, n. 2; Passer. de Elect. Canon., c. 12, n. 2 et seqq.

(50. Demum tempore consueto convocari debet Capitulum, non eo tamen quo divina celebrantur, alias capitulares impune non comparerent. Leuren. For. Beneficial., t. I, q. 420, n. 5.

(51. Quod concernit secundum requisitum: vocem in Capitulo habent, adeoque sunt convocandi, qui nomine Capituli veniunt, (52. et sic regulariter soli Canonici, nam non nisi Canonici veniunt nomine Capituli, ipsumque constituunt. Bohemer. in decretal. lib. iii, tit. 11, § 6. (53. Hinc sequitur, dignitates convocari non debere, nam eæ non dicuntur de Capitulo, nisi velfundatione, vel consuetudine aliud obtineant. Cardinal. de Luca de Beneficiis, discurs. 46, num. 1; Barbosa de Canon., cap. 35, num. 14. (54. Idem dicendum est de mansionariis, quippe qui nec de Capitulo dicuntur. Ayren. in dissert. de beneficiar. assis. Confer etiam Rotam coram Crispo dec. 50, n. 20, in Gerunden. Servitutum 23 Febr. 1731, § *Siquidem*, coram clar. mem. Cincio.

(55. Quinimo nec omnes Canonici convocandi sunt, sed tantum præbendati, intra numerum, et in ordine saltem diaconatus constituti. Bohemer. in decretalib. lib. iii, tit. 11, § 7 et 8. (56. Num autem Canonici absentes vocandi sint? Negatur, exceptis tamen in negotiis majoris ponderis, ut sunt electio prælati, receptio Canonicoꝝ, aut præbendarum collatio, et cessatio a divinis

a Capitulo indicenda. Idem auctor loc. cit. § 9.

(57. Tertium requisitum est, ut negotia capitulariter expediantur. Dicuntur enim negotia expediri capitulariter, si congregatum sit Capitulum, audita sint vota singulorum, et deliberatio a congregatis facta sit. (58. Neque enim singuli extra congregationem Capitulum constituunt, et ita nec singulorum consensus extra Capitulum interpositus sufficit in negotiis a Capitulo expediendis; id quod ex natura collegiorum fluit. Card. de Luca de Benefic., discurs. 30, n. 3 et 5, optime Louvrex dict. dissert. Canon. 17, num. 24.

(59. Restat ut disseramus de ultimo requisito, ut major pars Capituli consensum suum interponat. Id quoque ex natura omnium collegiorum et universitatum fluit, cum non esset ratio expediendorum negotiorum, nisi majora concluderent. (60. Major tamen pars aestimari debet non respectu partium minorum, sed totius Capituli, id est omnium Canonicoꝝ intervenientium, et suffragium ferentium, nisi alia sit consuetudo. Louvrex dict. dissert. Canon. 17, num. 9 et seq. (61. Idemque obtinere debere tenet dictus auctor, si Capitulum consenserit, ut major pars respectu partium minorum concludat.

(62. Cæterum si agatur de negotio Canonicoꝝ uti singulos concernente, non sufficit consensus majoris partis, sed singulorum Canonicoꝝ consensus exigitur. Fagnan. in cap. *Cum in cunctis* fere per tot. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli. Fermosin. de Potestat. Capituli sede vacante, tract. 3, q. 1, n. 5, 15 et sequent.

(63. At quando negotium dici debeat hujus generis, ut concernat Canonicoꝝ uti singulos, omnium optime explicat Louvrex sæpe dicta dissert. Canon. 17, a num. 16 ad plur. seq. omnino consulendus ubi res postulat.

(64. Num ad convocationem Capituli extraordinarii debeant Canonici ei qui jus habet convocandi ipsum Capitulum, eique præsidendi, negotia pandere, propter quæ convocatio illa desideratur? (65. De quæstione hac magna utrinque animorum contentione disputatum novissime est in Rota. At tribunal hoc definivit necesse haud habere Canonicoꝝ negotia proponenda in Capitulo extraordinario nota facere habenti jus convocandi Capitulum, ipsique præsidendi. Vide decisionem in Avenionen. Convocationis Capituli 17 Martii 1752, coram Emin. Bussio.

ARTICULUS II.

Quoad ea in quibus requiritur consilium vel consensus Capituli.

(1. Capituli consensus requiritur: Primo in alienatione rerum ecclesiasticarum quæ ad Cathedralium Ecclesiam pertinent; cap. *Sine exceptione* 53, caus. 12, quæst. 2; cap. *Ut super*, § fin. de Rebus. Eccles. non alien., cap. 1 de His quæ fiunt a Prælat. Rota in Triventina Beneficii 12 Novembr. 1649, cor-

Queipo. (2. Secundo, requiritur Capituli consensus in administratione bonorum et reddituum Ecclesiæ. Si enim hæc omnia sunt communia inter prælatum et Capitulum, ad eos simul spectare debet administratio; cap. *Novit* 4, cap. *Quanto* 5, cap. *Ea noscitur* 5, de His quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli; Rota par. i, recent. dec. 183, num. 1, et in Gerunden. Administrationis, 16 Febr. 1629, coram Verospio, et in eadem 11 Decembr. 1630, coram Cocchino decano. (3. Tertio, requiritur Capituli consensus in suppressione canonicatum et beneficiorum, quæ non permittitur Episcopo absque tali consensu, et sine legitima causa; c. *Cum accessissent*, de constitut., ubi Abb., num. 4 et 9; Felin., num. 17, dec. num. 45 et alii passim. (4. Quarto, requiritur Capituli consensus in unione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu dignitati, vel præbendæ per Episcopum faciendæ; cap. *Si Episcopus* 72, caus. 12, qu. 2, ubi gloss. in fin. cap. *Tua nuper*, de His quæ fiunt a Prælati; Clement. *Si una*, de Rebus Eccles. non alien. Rota dec. 133, n. 2, part. ii, divers. et dec. 294, num. 17, part. v divers. (5. Quinto, requiritur Capituli consensus in casu quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas; cap. *Dilecti* 13 de Majorit. et Obedient. Piasec. in praxi Episcop., part. ii, quæst. 2, cap. 2, n. 9, vers. *Item in casu*. (6. Sexto, requiritur Capituli consensus in omni negotio quod concernat præjudicium Ecclesiæ cathedralis; cap. *Humilis doctrina*, 17, de Major. et Obedient. (7. Septimo, requiritur Capituli consensus, ut erigatur seminario in ædibus canonicalibus; seminario enim ibi erigi non potest, nisi de consensu Canonicoꝝ, et ita separatim, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. Sac. Congregat. Concil. in Mutinensi, 3 Febr. 1604. (8. Octavo, requiritur Capituli consensus in creatione Canonicoꝝ supranumerariorum; nec enim potest Episcopus auctoritate ordinaria in sua Ecclesia creare Canonicoꝝ supranumerarios absque consensu Capituli et Canonicoꝝ. Sac. Congreg. Concil. 26 Febr. 1639, in una Fulginat. (9. Nono, requiritur Capituli consensus, ut vigore Concil. cap. 7, sess. 7, de Reform., curam animarum toti Capitulo cathedralis incumbentem, per viam unionis perpetuæ in certam personam, seu dignitatem ejusdem Ecclesiæ adnectere possit Episcopus. Sac. Congreg. Concil. in Compsana, 1 Julii 1647. (10. Decimo, consensus omnium Canonicoꝝ requiritur in actibus Capituli voluntariis, et ubi agitur de Ecclesiæ præjudicio, nec sufficit consensus majoris partis. Rota part. vi, recent. dec. 20, num. 5, part. xvi, dec. 244, num. 25. Secus vero in actibus necessariis, et ubi agitur de ejusdem Ecclesiæ utilitate. Rota part. vi, dec. 20, num. 7 et sequent.; p. xvi, dec. 244, num. 25; part. xix, t. I, dec. 171, num. 7. (11. Undecimo, consensus majoris partis Capituli requiritur in quolibet actu Capitulari; l. 3 et l. 4 ff. quod cujusque univers. nom. l. nominationum 46, Cod. de Decurion.,

lib. x. Rota part. xvii, dec. 79, n. 10. (12. Unde advertendum est quod consensus majoris partis sufficit in iis quæ sunt communia pluribus, uti universis, non autem uti singulis; cap. 1 De iis quæ fiunt a majori parte Cap.; Rot. part. xvii, dec. 263, num. 5. (13. Et pariter advertendum est quod ubicunque requiritur consensus Capituli, debet præstari collegialiter, et Capitulo ad id legitime congregato. Rota part. ii, dec. 382, num. 3. (14. Et circa hoc est ultimo advertendum quod, in omnibus casibus ubi requiritur consensus Capituli, id quod ab Episcopo sine tali consensu Capituli factum fuerit, nullius erit roboris et momenti. Barb. de Canonicoꝝ, cap. 42, num. 15 et alii passim.

(15. Capituli consilium requiritur: Primo in institutionibus et destitutionibus beneficiorum; cap. *Novit* 4 De his quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (16. Secundo, requiritur Capituli consilium in clericorum ordinationibus; cap. *Episcopus sine consil.* 6, dist. 24, ibi: « Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet. » (17. Tertio, requiritur Capituli consilium in dispensationibus et confirmationibus; cap. *Præsentium* 3, caus. 1, qu. 5, et ibi Glossa cap. *Quanto*, 5 de iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (18. Quarto, requiritur Capituli consilium in inquisitionibus et condemnationibus clericorum et sacerdotum; cap. *Si quid vero* 23, dist. 86, et ibi plene Glossa in verb. *Ecclesia*, cap. *Licet Heli* 31, vers. *nam juxta Canonicas sanctiones*, de Simonia. (19. Quinto, in processionibus edicendis, decernendis, dirigendis, atque deducendis consilium Capituli est requirendum, non autem consensus exigendus. Sac. Congregatio Rituum in Elboren., 28 Mart. 1628, et in Comen., 7 Febr. 1632, ubi declaravit ad Episcopum pertinere cum Capituli tamen consilio indicare publicas processiones, et præscribere quomodo et quo sint dirigendæ; quod per Vicarium Generalem absente Episcopo requirendum quoque esse ab eodem Capitulo censuit eadem Sac. Congregatio in Vigilien., 28 Sept. 1630. (20. Sexto, consilium Capituli requirere tenetur Episcopus casu quo canonicatus et portiones omnes suæ Ecclesiæ cathedralis ex fundatione, aut antiqua consuetudine aut statuto aliquem ordinem presbyteratus vel diaconatus annexum non habent, ut scilicet cum prædicti sui Capituli consilio designare et distribuere valeat, quibus quisque ordo in posterum debeat esse annexus, ita ut saltem pro dimidia parte sint presbyteri, cæteri vero Diaconi vel Subdiaconi. Conc. Trident. sess. 24 de Reformat., c. 12, vers. *Episcopus autem*, ubi jussit observari consuetudinem illam, quæ hæuerit, ut plures, vel omnes sint presbyteri, circa quam conciliarem dispositionem emanarunt exinde a Sac. Congreg. Concil. tres sequentes decisiones: *Prima est*: « Episcopus cum consilio Capituli designare debet, quibus beneficiis vel canonicatibus quisque ordo debeat esse annexus, non quibus personis vel